

ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς
 δεδαυδαλμένος
 φέρει τῶν τε καὶ τῶν
 καιρὸν, βαθεῖαν ὑπέχων
 μέριμναν ἀγροτέραν,
 ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἀλαθινὸν
 ἀνδρὶ φέγγος.

Certamen curule et victoria curulis sine *magnis impensis* esse non poterat, adeoque notionem *opum et diuitiarum* saepe in poetae animum inducit; et laudat ille *diuitias cum studiis rerum praeclararum*, τῶν καλῶν, *coniunctas*. Nunc igitur omnino *opes cum virtutibus*, h. e. *studio τῶν καλῶν, coniunctas*, laudat: πλοῦτος φέρει τῶν τε καὶ τῶν καιρὸν. Aliquoties occurrit hoc τὰ καὶ τὰ; modo designat res secundas et aduersas; vt Pyth. VII, 24. V, 74. Isthm. V, 66. Aliis locis simpliciter est *haec et illa, varia vel multa*, vt Nem. VII, 80. 81. Nem. I, 43. Priorem sensum si h. l. inferas, sententia est: *perfert aequo animo utramque fortunam, seuera consideratione adhibita*. Sic Grammaticus acceperat, quem pleniorē exhibui in App. ad Verf. Pind. p. 125. Alter sensus accommodatior superioribus, quem sequuntur viri docti, Gedik. V. C. et Beck V. C. *afferunt opes, quae virtutem animi comitem habent, opportunitatem variarum rerum gerendarum*. Nunc aenigmatis similia sunt illa: βαθεῖαν ὑπέχων μέριμναν ἀγροτέραν, nam πλοῦτος dicitur seu *subiicere, praebere, seu adhibere considerationem, altam, inuestigatricem*: suspicari licet, ex sententiarum nexu, spectare haec ad *opportunitates, ἀφορμὰς, rerum gerendarum exquisendas*, vt illi, qui opes habent, intentum ad has habeant animum; (etsi vel sic μέριμνα βαθεῖα, ἀγροτέρα, difficilius et grauius quid postulare videtur.) Ita forte idem πλοῦτος, ἀστὴρ, propter gloriam rebus praeclare gestis partam. Simile fere erit sic illud Pyth. V, 74-76. et pr. πλοῦτος ἀρετᾷ κεκραμένος, εὐρυσθενής, *est potens, ad*

B

res